



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quænam mutatio in materia & forma Sacramentorum reddit Sacramentum invalidum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

Quia nimirum in voto Baptismi antea concep-
to sufficiens intentio Moralis, & interpretativa
perseverat, cum quibus tamen stat in reci-
piente vera intentio recipiendi Baptismum,
modò expressè non contradicat. Unde adultus
receptioni Baptismi expressè contradicens, ni-
hil recipit, quia tunc nullam habet intentio-
nem recipiendi Baptismum, nec etiam inter-
pretativam, quæ sufficeret ad hoc, ut validè
reciperet.

CAPUT V.

*De mutationibus quæ accidere possunt
materiae formaeque Sacramentorum.*

Quest. 1. QUÆNAM mutatio in mate-
ria & forma Sacramentorum,
reddit Sacramentum invalidum?

Can. *Detrahe.*
1. q. 1.

Resp. Certum est, omnem mutationem sub-
stantialem, tum in materia, tum in forma
Sacramentorum, reddere Sacramentum in-
validum. Quod quidem probatur autoritate
sancti Augustini relati in Canone: *Detrahe,*
inquit, verbum, & quid est aqua? Accedit
verbum ad elementum, & fit Sacramentum;
Hoc est, detrahe formam à materia Baptismi
seu verbum ab aqua, nullum erit Sacramen-
tum: quibus verbis satis constat mutationem
omnem substantialem sive materiae sive formæ
Sacramentum nullum reddere.

Quest. 2. In quonam sita est essentialis mu-
tatio formæ Sacramentorum?

D. Th. 1. p.
q. 60. art. 3.
in corp.

Resp. Cum verba, inquit Divus Thomas,
operentur in Sacramentis quantum ad sensum
quem faciunt, oportet considerare, utrum per
talem mutationem tollatur debitus sensus ver-
borum;